

DIGNITATEM BVRGGRABII
AVCTORITATE REGIA

V I R O

ILLVSTRI
MAGNIFICO, GENEROSO MAXIMEQVE
STRENVO DOMINO

DOMINO
CAROLO ERNESTO
RAMSEY

PRAECONSVLI CIVITATIS GRAVISSIMO
AC

PROTOSCHOLARCHAE DIGNISSIMO

D. XV. MART. 1566

PRIMUM DEMANDATAM

NOMINE GYMNASII

GRATVLATVRVS,


QVASDAM

LAVDIS INCONVENIENTIAS

NOTAT

IOANNES SAMVEL FROM

CONR. ET P. P.



ELBINGAE

LITTERIS NOHRMANNIANIS.

DIGNITATEM BVRGGRABII

AVCTORITATE REGIA

DIAGNOSTICO, GENEROSO MAXIMEQUE

STRENGTH OF DOMINO

ELBINGA

LETTERS FROM AMERICA



Aliorum gratia florere, tanti res est desiderii, ut politissimus quisque eo studio maxime ducatur. Signa enim externa urbanitatis, consuetudo, humanitas, amicitia, fructus sunt vilissimi, qui ex tam fertili campo progerminant, quum potius inde bona consilia, officia ac studia salutis meti possint. Interim rationis leges nos monent, non nisi bonorum gratiam ineundam esse, quae fama ac bona existimatione praeueniente facile conciliari potest. Quo itaque consilio & expedit & fas est, famae non solum conseruandae, sed & amplificandae atque illustrandae necessariam semper habere rationem. Verum propter communia etiam in patriam officia hoc honesti nominis studium sequendum esse, exinde constat, quod non facile quisquam, nisi perspecta alicuius dexteritate, fide ac peritia suam, non dicam, salutem, sed ne vitae quidem commoditatem curae alterius committit. Omni igitur ex parte cuilibet circumspecta quaedam vitae ratio commendatur, quae publicae de se existimationis honestati consulat, & qua quisque ita saltem se gerat, ut illas certe virtutes, quae ab omnibus probis humanae societatis ciuibus postulantur, in sinu quasi suo fouere credatur. Innocens haec ac grata virtutis filia, quae eam tamquam umbram sequitur, fama honesta, importuniorem quamdam nacta est sororem, laudem ac gloriam. Illa modesta se in mentes hominum insinuat, tacite oculos quasi praesentium demulcet, vel absque ullis verborum ornamentis



mentis vulgaria virtutis infucatae testimonia in aures paucorum tantum pro oblata occasione infusurrat. Haec vero tuba quasi arrepta vbique locorum merita ac insigniores res gestas multis orationis ampullis verbisque sesquipedalibus diuulgat, amicos suos in conspectu omnium, summa festiuitate exornatos exponit, eosque summos ac ad humani generis felicitatem natos pronunciat. Incertumne est, quae harum vanitati hominum magis blandiatur? Mirumne, quum mortales adeo ad admirationem propendeant, fama neglecta laudem quaeri; illam vel ideo conseruari, vt haec sequi possit, vel adeo plane repudiari, vt, laude parta, non amplius curae sit? Quotus enim quisque vir summus ac omnibus laudationum formulis exornatus non erubescit, vulgares ac cum quolibet probo ac utili humanae societatis membro communes sibi qualitates ac virtutes tribui? Nonne laudum sectator indignatur de adscriptis sibi tritissimis illis virtutibus, honestate ac dexteritate, quas fama in infimo etiam hominum ordine deprehendere solet? Verendum sane est, ne aliquando vir honestus plane periisse, & non nisi excellens & summus eius loco relictus esse videatur. Omnia in laude praeclarissima requiruntur, remotis omnibus quae communem vitam & triualem inferiorum perfectionem redolent. Quid itaque? Num laudis studium plane est reiiciendum? Nonne cum eo omnem simul perfectionum comparandarum curam, quae quasi illius fundamentum sunt, abiicies? Periculosum sane consilium laudis negligendae, si inter eam & virtutes, quibus superstructa est, tam arctum intercedit vinculum, vt illa non nisi his simul repudiatis deserui possit. At si fieri potest, vt virtutes ac merita propter internum suum pretium sectemur, spreto externo laudis praemio; tum vtrumque studii sui fructum quilibet vir probus, si expediret, reportare poterit. Ante omnium enim oculos perfectiones eius expositae beneuolam aequi iudicii aestimationem habebunt comitem; quae si sponte sequitur,



sequitur, respuenda omnino non est. Merita potius, si non gloriam, sui certe cognitionem, bonamque de se aliorum existimationem proprio iure quodam poscunt. Anxia illa tantum laudis venatio, quae vanae gloriolae magis quam internae virtuti studet, ideoque nubem saepe pro Iunone captat, digna sane est, cuius causa, propter varias cum illa connexas, ut ita dicam, inconuenientias impugnetur.

Triplex maxime hic occurrit hominum genus, inter quos laudis negotium versatur. Alii sunt testes vel potius iudices laudis, ii scilicet, ante quorum aures ac oculos aliorum merita celebrantur; alius qui partes laudationis suscipit; alius denique, cuius virtutes laudis quasi materiam constituunt, circa quas, apud priores, euehendas ac omni artis suae ornatu amplificandas ille occupatur. Iam vero videamus, quam lepide laus apud singulos sine suo plerumque excidat, ut intelligatur, quantis laboret incommodis.

Quodsi quaeritur, quo consilio alicuius laudes magnificis verborum formulis aliis explicantur, facile liquet; non aliud esse, quam ut celebratae virtutes in admirationem omnes abripiant, ad reuerentiam ac gratum in tanta merita animum excitulent, ad praestanda viris meritis quaevis bona officia, & exempla eorum sequenda prouocent. Hoc vero quid aliud est, nisi consciis laudis expositae testibus apertam iniuriam facere, eosque vel iniustitiae vel negligentiae accusare? Quemadmodum enim, ut prouerbum fert, bono vino non opus est hedera: ita & merita propria sua dignitate se commendant, neque, ut sentiantur, verborum amplitudinem requirunt. Sponte se animis hominum insinuant, iustique rerum aestimatores proprio Marte conueniens illis pretium statuent, debitos

a 3

honores



honores conferent, ac in officiis humanitatis pares referent gratias. Cauendum igitur, ne publicis alicuius meritis laus tamquam praemium aliquod tribuatur. Testes enim huius officii aut querentur, se ingrati animi aut iniqui de meritis iudicii suspectos esse, qui laudis ope monendi esse creduntur, quanti ea facere, & quantopere remunerare debeant; aut illae ipsae virtutes decantatae incipient suspectae videri, quippe quae patrocínio praeconis alicuius opus habeant.

Quoniam vero merita nonnumquam latent, fas certe est, ut ex squalore obscuritatis extracta, in publicam proferantur lucem. Exponantur itaque, narrentur res praeclare gestae, virtutes variis occasionibus hoc illoue modo manifestatae, documentis, quasi viuis coloribus depingantur, ut spectari fere possint; reliqua vero spectatori committantur. Ipse ex magnitudine & eminentia harum perfectionum pretium definit, in quo omnia ea putet habenda esse. Quodsi quis ab hac nuda rerum expositione ad laudem & encomia processerit; nonne se alteri quasi iudicem aliquem non expetitum obtrudit? Nonne confundetur interrogatus: num se vel solum, vel aequiorem meritorum censorem putet?

Ad haec grauiora laudes subeunt incommoda, quando cum iis communicantur, quibus aliena maxime sordent. Sunt homines, qui vix ac ne vix quidem aequis oculis aliorum perfectiones intueri possunt, si tectae adhuc lateant. Hi iam inde a primis virtutis parturientis initiis ad omnia attendunt, ac materiam colligunt, qua euoluendam futuro tempore eius gloriam obscurare possint. Taciti quasi dentibus tantum fremunt, dum merita sub cinere gliscunt. Quae si exarserint, quid? quod laudibus adeo illustrentur; num hi satis sibi



sibi temperare poterunt, quin bilem inuidiae tam grauius motam, variis criminationibus & contumeliis euomant, eaque hoc nouum exortum lumen exstinguant. En certissimam conflatam inimicitiam! Non nisi oblique virum tantis laudibus exornatum adspicient; signa honoris externa adeo ei denegabunt, ut & humanitatis ac urbanitatis officia negligant; quantum possunt ad eius damnum conferent, ac omnem mouebunt lapidem, ut eum de fastigio honoris deturbent. Qui licet ea re satis pravae mentis indolem, ac propriae dignitatis vel defectum vel exiguitatem indicent, plures tamen inuidiae consortes inuenient, cum quibus in gloriam meritorum alterius conspirabunt, & imperitis, quorum maxima est multitudo, persuadebunt, maculas, quibus temere dignitatem meritorum contaminarunt, non adpersas esse, sed insitas, & plures adhuc inhaerere, quas per modestiam reticeant. His artificii facile succedet negotium, laudem alterius calumniae ope corrumpendi, neque mirum, si non gloria vana solum, sed omnis bona etiam existimatio pereat. Ea enim est eiusmodi hominum conditio, ut prius non quiescant, quam omnem dignitatem, ac virtutis adeo umbram deleuerint, quas intactas reliquissent, nisi quis laude ministra ultra mediocritatem processerit. Quantas itaque laus turbas dat, quantum detrimentum adfert! Plus sane molestiae ac incommodi secum fert, quam fructus ac emolumenti, si eos spectes, in quorum sinum illa amplissimo verborum farragine effunditur.

Atque fronte non minus austera in suos quasi ministros ac interpretes despicit, iisque laudandi negotium facessit. Hi tamquam miserae in honorem aliorum victimae omnibus se maleuolis iudiciis ac iniquis censuris exponunt, neque tamen ad quem adspirant, finem contingunt. Quibus patronos, delicias suas, omnibus orationis artificiiis depingunt, lectoribus
ac



ac auditoribus saepe tam incredulis ac indocilibus vtuntur, vt alienae auctoritatis iudicio stare, ac adeo omnibus de aliorum dignitate testimoniis fidem adhibere nolint. Quamuis hoc laboris sui immeritum praemium plane non expectauerint, se scilicet merita laudata aliis non probaturos esse: in fautorum tamen adplausu sibi plerumque gratulantur, & contra illum dolorem praesidia ac fomenta quæerunt. Iam si accidat, vt nec laude sua eorum gratiam ineant, ad quorum famam euehendam omnes laudandi formulas largis quasi manibus profuderunt, quod solatium restat, in quo acquiescere possint? O male perditum studii sui fructum! O miserandam conditionem, quum ab altera parte vituperatis ac reiectis ad alteram nullum datur perfugium! Et tamen quoties vtroque voto, tam auditores in partes suas ac virtutis celebratae admirationem abripiendi, quam patronos magis sibi deuinciendi, maioremque eorum beneuolentiam conciliandi frustrantur. Nihil superest, quam vt in proba iustaque causa sua exsultent ac triumphent. Quid enim mali commiserunt? Meritis dignas laudis retulerunt gratias.

Multum vero interest qualia fuerint, publicane an priuata merita; quae ad communem patriae salutem, an solum laudantis commodum spectant. Generalia illa laude non indigere putantur, quippe quae sensibus omnium exposita, satis in se laudis habeant. Quantum ad haec priuata, quae beneficiorum alias nomine veniunt, grati sane est animi, et iustis honoribus celebrare. Verum enim vero quum intra priuatos tantum parietes inclusa, neque plures in eorum societatem ac consortium admissi sint; neque expedit, ea publice proferre, quae scire aliorum non refert. Quum enim alii nullam beneficiorum partem traxerint, eorum publica praedicatio vel inuidiam de collatis alteri beneficiis, quibus quilibet



quilibet se aequè dignum putat, quaeque ideo sibi non contigisse dolet, vel suspicionem excitat, e spe laudis munificentiam prognatam, & quasi mercedem, diuulgationem ac beneficii celebrationem pactam esse. Atque haec quidem frequentissima est ratio, qua tamquam calcari alter exstimulatus, alterius laudem sibi concinnandam sumit. Vt vero sola laudis expectatio aliquando iam munificentiae causa est; ita & sola beneficentiae in se deriuandae spes saepe ad laudes alicuius decantandas perducit, exemplo eorum, qui ante praestita officia corrumpere tentant, quos in causae suae partes pertrahere student.

Horum fami ac auiditati liberalior censura facile aliquid concesserit, quum duro necessitatis telo pressi tamquam opificium aliquod laudis negotium exerceant, ac encomia, merces suas plus licitantibus vendant; nisi vniuerso laudatorum generi turpitudinis notae iniustae molestum foetorem relinquerent. Quid enim consuetius, quam omnes fere qui laudibus praedicandis occupantur, lucri studii suspectos habere, qui attentiore oculo liberalitatem, quam reliqua patroni merita considerauerint.

Multo vero magis iis, qui beneficii vel collati vel conferendi causa ad aliorum gloriam celebrandam se accingunt, vitio id verti potest, quod in summa perfectionum genuinarum penuria, ad quascumque alias qualitates ac fortunae bona recurrant, quae non nisi per ignorantiam aut abusum in meritorum classem referuntur, quum qui ea possident, illis non proprio labore vel animi virtute, sed casu acquisitis fruantur. Et tamen eiusmodi laudes auribus nostris obstrepunt: alios audimus propter diuitiarum adfluentiam,
b
alios



alios propter stirpis nobilitatem, alios propter formae venustatem, alios propter centum alia fortunae commoda laudari ac fere ad sidera tolli. Num hi insipidi vanitatis praecones, qui se laudum quasi administratores putant, ea se auctoritate credunt, ut rebus omnibus pro lubitu certum valorem statuere possint; alios vero tam imprudentes iudicant, quibus tamquam omnium rerum imperitis omnia persuadere ac imponere valeant, ut quae non sunt, pro meritis venditent?

Haec fere sunt, quae circa materiam, in qua laus versari debet, notatu digna videntur; sunt vero & alia, quae ad externum eius habitum ac formam pertinent. Eo referri potest inconsiderata quaedam intemperantia, quae modum in laudibus impertiendis nescit, ac ipsa merita ita euehit, ut non solum laude sint inferiora, sed omnino circulum finiti hominis excessisse, nec umquam in eo gradu deprehendi posse videantur. Hi quemadmodum adfectatam dignitatem perfectionibus eorum, quos laudant, adfingunt; ita magis adhuc ridiculos se exhibent; si in quavis vel vilissima occasione eundem laudandi morem observant, & omnia eadem mensura metiuntur. Diligentes omnium actionum scrutatores ac observatores admirandam ac summam in risu, ingressu, gestibus, ac sternutatione adeo gratiam venantur, inveniunt, ac mirum quantum celebrant; quasi in his vanis ac leuissimi momenti rebus cardo reipublicae vertatur. Qui nisi ita levis animique sint imbecillis, nisi tam imperiti rerum censores, ut quacumque perfectionis umbra capiantur, ac omnia, quae aliquem saltem splendorem prae se ferunt, summa existiment: adsententoribus sane merito adnumerantur.



In aliis triuiales laudandi formulae iure corripiuntur; quibus idolum suum per omnia locorum communium genera deducunt, atque tam ieiunis ornant encomiis, vt omnibus fere meritis orbatum, ac laudes profusae cuius alteri competere videantur. Atque horum adfines quidem sunt, quorum laus tam inopportuno tamque intempestiuo loco prodit, vt digni essent, quibus acclameretur: vbi iudicium? Tantus nimirum aliquos inuasit laudandi furor, vt indifferens habeant, iustione an iniquo tempore laudum suarum thura accendant, omnemque, occasionem dicam, an potius casum ad hoc negotium expediendum arripiant; quum tamen quaeuis laus male sedeat, quae contra omnem opinionem occurrit, quamque nemo vnumquam sanus illo loco vel tempore suspicatus esset. Vel hi, vel priores etiam plerumque non tam dignitati eorum, quos tamquam publici praecones celebrant, quam propriae suae magnitudini, qua eorum animus vbique occupatur, orationibus suis laudatoriis monumenta exstruere contendunt.

Pergo tandem ad eos, qui quasi laudibus subiacent, & in quorum virtutibus decantandis strenue laudatorum se exercent ingenia. Ante vero quam de his dicere incipiam, mediam quamdam inter laudatores ac laudatos, iactatorum scilicet, ridiculam sane nationem ac monstri similem, duplicem quippe personam sustinentem, in transitu quasi perstringendam censeo. Non est quod huic generi multis immorer, quum in omnibus fere societatibus obuii satis insipiant, vt iactantia immoderata ventosam suam vanitatem omnium oculis publice exponant, propriam effectam dignitatem aliis probare, seque ipsos admirationis ac imitationis exemplaria statuere audeant. Iustas vero ineptiarum suarum poenas luunt, quum ne infestae quidem satisque credulae plebis existimationem sibi concilient, derisui praeterea ac ludibrio sint prudentioribus.



Iam vero quantas difficultates ii subeant, quorum laudes ab aliis publice celebrantur, facile intelligi potest. Personae prae omnibus delicatioris sustinendae partes illis tribuuntur. Qui in laudis celebritate versatur, quam libet formam induerit; semper erit, cur vanitatis suspicionem incurrat. Siue enim clientis studia sibi probari declarauerit: en hominem vanum ac aurae captandae cupidum, qui tanto laudis studio ducitur, ut nec gaudium suum de gloria inani cohibere vel dissimulare possit! Siue laudem sibi tributam indignetur: O summam hominis insolentiam, qui eo usque laudis pretio tangitur, ut eam sibi displicere aliis persuadere studeat. Modestiam adfectat, ac eius specie meritorum tantopere celebratorum adstruere nititur veritatem, ne cum praecone suo ad propriam gloriam conspirasse videatur. Nonne indignatione vel adplausum, quem ambabus quasi manibus & ex animo clientis officio porrigit, dissimulare vult, vel certe grauatur, se non satis digne laudatum esse? Num laudem inique ferret, si vere contemneret? Indignatio sane feuerior ac nimis rigida esset animaduersio in delictum aut plane nullum, aut temere & ex inconsiderantia admissum. Qui enim tam alta sublimique mentis indole praediti sunt, ut laudum insignia contemnere possint; tam liberalem quoque animum demonstrabunt, ut patienter gloriolam ab aliis tentatam tolerant. Summum boni, sublimis ac delicati simul ingenii est artificium, ita dissimulare laudis contemptum, ut quum eam euitare non possit, nec eius adpetendae studium nec spernendae inuidiam prodatur.

Quoties vero accidit, ut laudes vix ferendae esse videantur, praesertim quum saepe in manus tam illotas incidunt, quibus meritorum magis conspurcatur quam illustratur dignitas! Vniuersa fere vita tot occasiones, fautores celebrandi



brandi exhibet, vt difficile sit, impetum, gratiam eorum hac via ineundi, reprimere. Hoc enim est saeculi nostri ingenium, vt encomiis liberaliter sparsis ad patronorum gratiam, ac per eam ad munera, aditus vel patere credatur, vel vere pateat. Vix itaque fautor ad aliquod honoris fastigium adscendit, vix festiuus ac solemnus familiae illuxit dies aliquis: en laboriosam clientum gentem totam anhelantem, ad laudis officinas, musea discurrentem, ac scrinia, imperitiae subsidia strenue compilantem! Millies dicta temere repetunt, virtutes patroni, quibus saepe diiudicandis impares sunt, successu tam infelici euehant, vt aut illas, quae in eo insigniores sunt, sicco pede transeant, aut iis decantandis diutius immorentur, quae in exemplari proposito saltem non eminent, saepius etiam desiderantur. Nonne maiorem eius generis homunculi patronis suis iniuriam facere, quam gloriam conciliare putandi sunt; qui tam inconsiderate aliorum oculos, ratione eorum meritorum, quae desiderantur, aperiunt, claudunt vero, ea quibus superbiunt, quasi furripientes.

Accedit, quod si vel merita vera ac inhaerentia celebranda susceperint, ita tamen extra oleas in iis efferendis vagentur, vt laudes exemplar saepe post se relinquant, quod deinde non in tanta maiestate adparet, quanta erat depictum. Nudae enim perfectiones longe maiores videntur, quam festiuo quodam laudis habitu ornatae ac amplo verborum fastu inflatae. Eximiae formae facies omnium oculos in se rapiet, ac admirationem certum feret praemium, nisi venustior eius effigies maioris adhuc pulcritudinis expectationem excitauerit, qua adspectus ac ipsa forma vincatur. Fuco multum gratiae natura perdit, qui insitum ac genuinum eius splendorem minus auget, quam corrumpit.



Quodsi meritorum laudem diuulgandam instituunt artis suae periti, qui intra modestiae limites se continent, atque ingenio, prudentia ac orationis concinnitate hoc negotium digne exercent; dubitandum tamen est: an merita aliquid inde lucrentur, aut illustriora euadant. Quod saepius accidit, id est, quod laudis artifex vel consulto vel praeter opinionem, se manifestum gloriae patrono conciliandae substituat aemulum. Virtutes scita laudis peritia commendatae aliqua quidem admiratione dignae habebuntur; saepe vero maiore, artificium orationis; cuius mira suauitate venustate ac grauitate omnium aures ac mentes demulcentur. Traiani merita iam diu cum aliis principibus euauissent, nisi ea Plinius in longe insigniorem eloquentiae ac artis suae laudem posteritati tradidisset, quae imperatorem fere obliuiscitur, ac solum admiratur oratorem.

Periculosa haec, **VIR ILLUSTRIS** in laudis tramite obuia adeo me terrent vestigia, vt meritis **TUIS** exornandis immorari dubitem. Neque enim id, ne publico omnium iudicio diffidere videar, dignitati **TVAE**, nec viribus meis respondere arbitror; quum mediocritatis meae conscius tantum mihi non arrogo, vt difficultatibus laudis, quas indicare facilius est, scite me expedire posse credam. Quodsi enim generis nobilitas, grauitas oris ac habitus externi, eruditio ac litterarum studia aliquam ad gloriam commendationem habent; si meritorum praemia iure creduntur munera, qualia **TIBI** per gradus vsque maiora publicis **PROCERYM** suffragiis collata sunt, & quae omnes norunt quae grauitate gesseris: quis est, qui ratione eorum omnium habita **TIBI** non debitas meritorum persoluat laudes; quibus nulla orationis commendatione maior accedet cumulus. Ipsa haec occasio, quae omnes ad gratulationem & bona vota prouocat,



prouocat, ita est comparata, vt virtutum TVARVM cuilibet fidem facere debeat. Ad quem *Serenissimi Regis STANISLAI AVGVSTI Domini nostri longe clementissimi* iam primum TE euexit gratia, summus in republica nostra honor, tamquam singulare fiducia adeo REGIAE testimonium suspiciendus est. Indue igitur VIR MAGNIFICE regiam BVRGGRABII purpuram, & cum ea, ad publicam ciuitatis salutem, regiam simul inter nos auctoritatem, generosum AVGVSTISSIMI animum ac gratiam! A PRINCIPIBUS omnia summa expectare fas est; sunt enim patres patriae, ad quos tamquam ad ancoram sacram omnes confugiunt, sunt praesidia miserorum contra aduersitatis tela, sunt consilia ac afflictorum solatia, sunt vindices innocentiae, ac iniuriarum scelerumque ultores. Vices quum REGIS apud nos sustineas; similem nostram in TE collocatam fiduciam non irritam fore speramus.

Hoc consilio ac spe omnium proborum vota pro incolumitate TVA ad coelum ardentissima penetrant. Conseruet, vna omnes voce clamant, conseruet DEVS in tota MAGISTRATVS corona hanc EIVS gemmam pretiosissimam! Muniat ILLVSTREM BVRGGRABIVM viribus corporis aequae ac animi; muniat vigore ac sanitate, necessariis ad officia strenue obeunda corporis beneficiis; fortitudine, constantia ac intrepida recte factorum conscientia, certissimis contra omnes malevolentiae ac aduersitatum insultus praesidiis muniat! Consiliis EIVS in communem patriae incolumitatem dirigendis ac ineundis, ita vt digna sunt, laetum largiatur successum, ac studia ad propulsandas iniuriae procillas ac temporum calamitates forti sua manu secundet. Familiam EIVS amplissimam quauis prosperitate ac dignis generosa stirpe ornamentis frui iubeat,
ad



ad maiorem vsque splendorem euehat, varia incommoda ab EA clementissime arceat. Quae quum omnia EI ex voto cesserint; quam laeta ac vberrima inde nos omnes exspectat messis! Nullis domesticis curis ac periculis turbatus ad publica negotia animus redibit alacrior. Ita qui in spem patriae natus ac educatus fuerat, in salutem reipublicae ad summa dignitatum fastigia euectus esse videbitur.

Supereſt, PROTOſCHOLARCHA IN-DVLGENTIſſIME, vt quas publicis his acclamationibus ſuffragari, ac de nouae ſpartae TIBI demandatae ſplendore laetari non dubitas, Muſas TVAE MAECE-NATIS tutelae ac amori omni cum reuerentia commen-demus. Perge eas TVO, in quod recepisti, patrocini-
o, vt ſoles, dignari. Crescit quidem munerum grauitas ac ſplendor, quorum grauiora officia nos vereri iubent, ne TE a litterarum noſtrarum exercitio auſcent, ac ſtudiis noſtris aliquas PATRONI curas praeripiant. Sufficiat vero, ſi TVAM erga Gymnaſii antiſtites ac alumnos gratiam ac be-neuolentiam, vt ſperamus, non imminuunt aut frangunt.

